

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

8 September 2006

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.
.....

1. Bernard Silvestris asks Thierry of Chartres to decide whether the Cosmographia is worthy of publication

Terrico, veris sententiarum titulis doctori famosissimo, Bernardus Silvestris opus suum. Aliquamdiu, fateor, sensu mecum secretiore quesivi utrum opusculum meum in amicas aures traderem, aut non expectato iudice penitus abolerem. Siquidem de mundo, de universitate tractatus sua natura difficilis, sed et sensu tardiore compositus, sicut aures sic oculos arguti iudicis reformidat. Verum sensus vester benivolus, simplicem sed devotam vobis paginam inspecturus, erexit audaciam, animos impulit, fiduciam roboravit. Consilium tamen fuit, ut perfecta minus pagina nomen sui tacuisset auctoris, adeo usque vestro suscepisset iudicio vel egrediendi sententiam vel latendi. Viderit ergo discretio vestra si prodire palam, si venire debeat in commune. Si interim vestro presentetur aspectui, iudicio correptionique transmittitur, non favori. Duret in longum valeatque vita vestra.

2. Augustine reads Cicero, turns on to immortal wisdom, finds God

Inter hos ego inbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam, fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae; et usitato iam discendi ordine perveneram in librum cuiusdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur 'Hortensius'. Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili, et surgere coeperam, ut ad te redirem. Non enim ad acuendam linguam, quod videbar emere maternis mercedibus, cum agerem annum aetatis undevicensimum, iam defuncto patre ante biennium; non ergo ad acuendam linguam referebam illum librum, neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat. Quomodo ardebam, deus meus, quomodo ardebam revolare a terrenis ad te, et nesciebam quid ageres mecum! Apud te est enim sapientia.

3. Getting stuck with a common-law spouse by the legal force of reputation (Pope Alexander III)

Illud quoque nobis innotuit, quod, quum libera mulier per decem annos et ultra cuidam servo scienter cohabitaverit, et ab eo fuerit carnaliter cognita, nunc ipsum asserit suum non esse maritum. Verum vir eam vendicans in uxorem ostendit publicum instrumentum, in quo sese coniuges nominant, et per quod ipsum ei donationem propter nuptias fecisse apparet. Mulier vero instrumentum illud asserens vitiosum, ut servo dominus fraudaretur, plures testes produxit, quod ille ab amicis eius saepe rogatus, ut eam desponsaret, nec desponsasse, nec desponsaturum se ipsam firmiter asserebat. Vir autem non nisi praedicto instrumento, et quibusdam testibus, qui viderant eam annulos deferentem, ipsam probavit uxorem; sed mulier de more illarum, quae panes vendunt, se annulos detulisse dicebat. Verum, quia in huiusmodi dubietate fama vicinia magis debet attendi, si fama loci habet, quod vir ipsam in lecto et in mensa sicut uxorem tenuerit, . . . cogenda est mulier, ut eidem viro affectu serviat coniugali.

4. **Popes vs. emperors: the disastrous civil effects of the Guelf-Ghibelline rivalry (Leonardo Bruni)**

Haec itaque magnis saepe studiis per Italiam agitata, eo demum contentionis processere ut non solum civitates singulae, verum etiam populi intra una moenia constituti, vario favore dividerentur. Ita per Etruriam natae sunt factiones duae: una faulrix pontificum, imperatoribus adversa; altera imperatorio nomini omnino addicta. Sed ea, quam imperatoribus adversam supra ostendimus, ex iis fere hominibus conflata erat qui libertatem populorum magis complectebantur; Germanos autem barbaros homines sub praetextu romani nominis dominari Italis perindignum censebant. Alia vero factio ex iis erat qui imperatorio nomini addicti, libertatis et gloriae maiorum immemores, obsequi externis quam suos dominari malebant. Hinc studia partium coorta, magnarum calamitatum initia fuere. Nam et publicae res contentione et cupiditate magis quam bono et honesto tractabantur, et privatim odia inimicitiaeque in dies crescebant. Ita privatim et publice simul invaserat morbus, qui primo enutritus contentionibus, tandem exacerbatus odio ac letifer factus, ad arma et caedes ac vastitatem urbium ad extremum prorupit.